Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

patiebatur inpugnatione a spiritu fornicati
onis. Hec autem senior cum audisset consolabatur eum de
spiritalibus verbis. de virtute patiencie dicens sicut
scriptum est. Viriliter agite et confortetur cor vestrum.
omnes qui speratis in domino. Reversusque est frater ad
cellulam suam. et ecce iterum inpugnatio insiste
bat ei. Ipse autem festinavit denuo pergere
ad supradictum seniorem. Videns autem senior: ite
rum docebat eum ut patienter. et indefesse susti
neret. Dicebatque ei. Crede fili. quod mittet
tibi dominus ihesus christus auxilium de celo sancto suo. ut
possis superare passionem hanc. Confortatus autem
frater monente sancto seniore. remeavit ad cellu
lam suam. Et iterum inpugnatio valde contur
babat cor eius. Et statim eadem hora noctis rever
sus est ad seniorem. et precabatur ut intentius pro eo
dominum exoraret. Dixitque ei senior: Ne pertimes
cas fili. neque resolvaris. neque abscondas cogi
tationes tuas. ita enim confusus spiritus inmundus
discedet a te. nichil enim ita alludit virtu
te demonum. quam si quis secreta inmunda
rum cogitationum revelaverit sanctis ac bea
tissimis patribus. Viriliter age o fili. conforte
tur cor tuum. et expecta dominum. Ubi enim du
rior pugna. ibi gloriosior et corona. Denique sanctus
propheta ysaias dicit. Numquid invalida est manus domini
ad salvandum. aut adgravata est auris eius. ut
non exaudiat. Considera ergo filiole. quia certamen
tuum expectat dominus. ubique etiam diabolum